









Q. R. B. V.

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

*Exercitatio Decima octava*

DE

54.13  
1695 84

**ACTIONIBUS,  
JUDICIO, ET PRO-  
CESSU FEUDALI,**

*Quam*

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,  
J.U.D. Pandectarum P.P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore,

D. Junii MDC. XCV.

*In Auditorio Jctorum*

publice defendet

GODOFREDUS NICOLAI,

Witteb. Saxo.

---

WITTEBERGÆ, Typis GODERITSCHIANIS.



L. R. B. N.

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

Exercitatio Decimadecima

DE

ACTIONIBUS  
JUDICIO ET PRO-

CESSU FEUDALI

Summa

PRÆSIDE

CASPARO FERRICO HORNIO

J. D. Sandeburgensi P. et Collegiorum

Judiciorum, que in hoc A. M. 1700

D. Jan. M. DC. XCV.

In Auditorio Rectorum

publice defendit

GODOFREDUS NICOLAUS

Witob. Saxo.

WITTEBERGÆ, Typis GÖDERTSCHMANNI







I. N. D. N. I.

Th. I.

**P**ostquam haecenus de duobus prioribus objectis Juris Feudalis, personis & rebus, pro instituto satis actum est, methodus, quæ placuit, postulat, ut de tertio simus solliciti, actionibus scilicet feudalibus. De actionibus in genere dicere hoc loco non attinet, quandoquidem saltem de iis, quæ speciatim, ad feudalia negocia pertinent, dispicere institutum exigit.

II. Actiones Feudales, vel de Feudo *constituendo*, vel *constituto* dantur tam *Domino*, quam *Vasallo*, eaque vel *personales*, vel *reales*. Ubi id monemus vocabulum Domini, & Vasalli in ampliacione, quadã nobis venire, ita, ut illos quoque comprehensos eo velimus, qui Domini vel Vasalli fieri volunt, vel fuere.

III. Quotiescunque itaque promisit aliquis, ut vel rem in Feudum alteri offerre, vel dare velit, toties illa actio alteri datur, quam negotium producit mediante quo promissio facta. Hinc si per venditionem, si per stipulationem, si nudo pacto promissio facta, actio emti venditi, ex stipulatu, condictio ex moribus habebunt locum. Eodem modo si promissio ultima voluntate facta, eadem actiones non tantum personales, sed etiam reales dantur, quas ultima illa voluntas aliàs secum ferre solet. *vid. Struv. VII. 3. Schmdr de F.P.V. c. 5. n. 11. Ant. Disp. XIII. Th. 1. C. Ex. XI. Th. 10.*

IV. Quomodo contractus Feudalis à preparatoriis Feudi, & ipsa investitura differat, intelligi potest ex iis, quæ dicta sunt *Exerc. X. Th. 8. & Exerc. XI. Th. 2.* Hoc ultimo loco assertum à nobis fuit, antecedere naturam contractum.

A. I. N. D. N. I. feuda-



feudalem investituram, sive propriam, sive abusivam, tempore tamen ut plurimum simul celebrari. Hoc si factum, otiosum est quærere, utrum ex contractu feudali ad constitutionem feudi agi possit, cum Feudum jam sit constitutum. Quod si tamen tempore prior sit contractus feudalis, solusque sine investitura celebratus, quod fieri posse nemo negabit, nullum dubium apud nos est, quin & ex isto contractu feudali, atque iterata in illo Feudi promissione agi possit ad Feudum constituendum. Dissentit *D. Lynk. VII. 3. 5.* Utrum autem res præcisè tradi, & Feudum constitui debeat, an verò promittens liberetur præstando id, quod interest, anticipavimus dicere *Exerc. XI. §. 8. Conf. Bitschius. II. F. 7.*

V. Feudo per investituram constituto, Domino directo rei vindicatio competit contra quemvis extraneum possessorem. *a. II. F. 8. Pr.* Neque possessor ille excipere potest, quod dominium utile ad alium pertineat, cum hoc de jure tertii sit, nec tangat possessorem. *Rosenth. Ca. XII. Concl. 12. Rittershus. L. II. c. 8. q. 14.* Quod si tamen Vasallus cum Domino concurrat, procul dubio Vasalli causa est potior. *Ludw. Synops. Feud. cap. fin. p. 410.*

VII. Si Feudum ob feloniam finitum, qua actione experiri liceat Domino ex dictis patet *Exerc. præced.* Ubi realem actionem Domino competere non aliter diximus, nisi sententia privatoria lata, & uno casu saltem alienationis illicitæ nempe, sine præcedente ejusmodi sententia; alioquin competere Domino conditionem causa data, causa non secuta. In quo asserto adhuc subsistimus. Quod si verò morte, vel aliàs sine culpa Feudum sit finitum, non dubitamus, quin Dominus vindicare à quolibet detentore possit Feudum *Struv. XVI. 2. 4.*

VII. Si quæratur, qua actione Dominus adversus Vasallum ad servitia præstanda agat, non opus putamus esse confugere ad actionem præscriptis verbis, cum actio ex contractu feudali Domino competat. Quæ actio toties habet locum, quoties ad illa agitur, quæ ad officia Domini & Vasalli pertinent. *Struv. XVI. 2. 3.*





VIII. Servitiis non præstitis, vel fide aliàs rupta datur  
condictio causa data, causa non secuta, quæ haud oritur  
ex contractu feudali, sed ex quasi contractu concurrente.  
*Conf. Struv. VIII. 4. 2. ibique Lynk. Rosentb. 1. 4.* Vocatur aliàs  
à quibusdam Doctõribus condictio ob ingratitude.

IX. Quemadmodum autem Feudo constituto Domi-  
no petitoria actiones competunt, ita nullum dubium, ei-  
dem possessorias ratione possessionis vel quasi domini dire-  
cti, atque perceptionis servitiorum adversum Vasallum, imò  
etiam adversum tertium vel Dominum vel Vasallum tur-  
bantem vel dejicientem intuitu totius feudi, si hic agere non  
velit, vel possit, dari, *Vid. Rosentb. XII. 12. 46. Vult. II. F. 1. n. 20.*  
*Menoch. recup. Poss. 1. n. 95. 96.*

X. Dd. communiter actionem præjudicialem exem-  
plo patroni dant Domino adversum Vasallum, qui se talem  
negat. Benè an, & ex quadam necessitate id fiat, merito du-  
bitaveris: quandoquidem Vasallus ratione rei obstrictus  
est ad fidem Domino ex contractu feudali, jusque Vasalagii  
ad jus personarum non pertinet, atque sic ad Dominum  
& Vasallum præjudiciales actiones non commodè possunt  
applicari. Neque adeò opus est ad has præjudiciales con-  
fugere actiones, cum Vasallus negans se Vasallum feudo  
excidat, atque sic condictio experiri liceat adversum Va-  
sallum *II. F. 26. 3.* vel etiam agere ex contractu feudali ad-  
versum Vasallum Dominus possit; ut officii partes sui imple-  
at. *Finckelth. Disp. XI. controv. 2.*

XI. Feudo constituto, delatoque dominio utili ad Va-  
sallum, Feudum si ab alio detinetur, Vasallus utili rei vin-  
dicatione petere potest à quocunque possessore *II. F. 8.*  
imò etiam ab ipso Domino. Formulam ejusmodi actionis  
suppeditat Dn. *Schwendendörfer. c. II. de Act. M. 6. Sect. II.*  
*Ant. Disp. XIII. Thes. 3. C.* Quod & verum putamus,  
si investitura abusiva saltem fuerit facta, modò si id de feudo  
nondum aperto contigerit, apertura secuta. Quod ex illis  
fluere arbitramur, quæ dicta *Exerc. XI. §. 12.*

A 2

XII,



XII. Poterit quoque Vasallus Publiciana agere etiam  
adversus Dominum. Nec obstat *L. pen. ff. de Publicana in  
rem actione*. Nam præter ea, quæ *Jl. D. Stryk.* reponit *qu.  
18. b. T.* & probantur ex *L. 72. ff. de R. V.* dici quoque potest,  
Vasallum non vindicare hinc eam particulam domini quæ  
Domini est, seu dominium directum, sed tantum eam,  
quam ad se pertinere putat, nempe utile, cujus ratione du-  
rante qualitate feudali Dominus non est Dominus.

XIII. Servitutum, quæ Feudo debentur, aliorumque  
jurium nomine confessoria actione Vasallum agere posse,  
nullum est dubium: sicut & utique libertatem Feudi nega-  
toria actione tueri potest *II. F. 8. §. 1. II. F. 43. Carpz. Diss. X. §.  
28. Bitschius II. F. 8.* In universum omnes actiones quæ à  
Domino dominium plenum habente, exerceri possunt,  
Vasallus quoque suas facere potest, ob utile dominium quod  
habet.

XIV. Facimus cum illis, qui Feudum sub hereditatis  
petitione Vasallum, ad quem successio delata, persequi non  
posse putant. *Ludw. c. ult. p. 415.* Nisi fortè, sit merè heredi-  
tarium, *Finckelth. XI. 3.* Idem sentimus de iudicio familiae  
herciscundæ.

XV. Remediis possessorii Vasallum posse uti, nullum  
dubium est *II. F. 26.* atque sic *Dd.* utile interdictum, quorum bo-  
norum illi accommodant. *Hahn. ad Wesenb. d. T. n. 8. Schnob. D. XI.  
Th. 9. Struv. XVI. O. F. 1.* Quamvis non facere possimus cum  
*Schnadero c. V. P. II. n. 26.* qui interdictum illud abusive in-  
vestito applicat, cum *L. 2. G. Communia de Legatis obstat. Hahn.  
d. l. Conf. Exerc. XII. §. 8. Philippi Us. Pr. Inst. L. 4. T. 25. Ex. 1. n. 21.*  
De aliis remediis possessorii, illis præsertim, quæ Imperii  
Constitutionibus recentioribus, de litigiosa possessione, de  
arrestis, & pignorationibus prodita sunt, vid. *Rosentb. c. XII.  
concl. 12. n. 40.*

XVI. Actio ex interdicto unde vi non quidem infar-  
mat, continet tamen atrocitatem facinoris. *L. 13. ff. de Vi & vi  
armata. L. 1. §. 43. ff. eod. Finckelth. XI. 1.* Non ergo uti debet  
illa



illa potestque Vasallus, nisi forte vim armatam intulit Dominus, quoniam hoc casu manifestè violavit fidem. *Struv. XI. 3.* Quando ergo vis armata non facta loco interdicti unde vi, uti & omnium famosarum actionum actionibus in factum uti licet *d. L. 1. §. 43. ff. de vi & vi armata. L. 11. ff. de dolo II. F. 22. vers: si verò Vasallus. Struv. d. l.*

XVII. Quemadmodum Dominus actione ex contractu feudali ad ea agit, quæ sunt officii Vasallitici; ita quoque Vasallus eadem actione ex contractu feudali ad reciprocam fidem renovationemque investituræ agere potest. *Struv. XVI. 3. 5.*

XVIII. Quando Feudum ejusmodi contractu promissum ab initio fuit, cujus natura præstationem evictionis secum fert, veluti emtione, actione ex eodem contractu ad præstandam evictionem agitur. Imo si maximè actio ex eodem contractu non sufficeret, ex contractu tamen Feudali actio daretur. *Conf. Schnob. D. F. XI. Th. 8. Franzk. Tit. de Evid. n. 517. vid. Exerc. VII. §. 10. & II.*

XIX. Quæ ratio sit actionum ex jure protimiseos, & jure retractus, supra fuit dictum *Exerc. XV.* Ubi & *thesi.* de actione revocatoria, quæ nihil aliud, est quàm utilis rei vindicatio, aut Publicana in rem actio, disputatum fuit. Actionis retractus formulas suppeditat *D. Swendörffer. C. II. M. 47. S. 5.*

XX. Hanc materiam Dd. passim latius tractare solent. Qui actionem Feudalem in judicium deducere vult, illi utilis esse potest Oldendorpii opera *class. V. action. 8.* Ubi & simul de exceptionibus, quæ hisce actionibus opponuntur, agitur. Multus quoque in hac re est *Rosenthal. cap. 12. concl. II. & seqq.*

XXI. Priusquam de Judice causarum feudalium solliciti sumus, nosse debemus, quænam causæ, seu controversiæ feudales sint, & dicantur. Qua in re ita sentimus, *causam vel controversiam feudalem eam esse, quæ inter duas pluresve personas qualitate feudali præditas de re vel factò feudali coram*





*judice feudali agitur.* Qualitas autē illa feudalis nascitur ex relatio inter rem & personas, Dominum & Vasallum, deinde inter Vasallos, qui eundem Dominum in eadem Curia recognoscunt. *Schrader de F. Part. X. Sect. 2. Rosenth. XII. 4. 24.* Quae de causa si lis inter Vasallum & extraneum vertatur, causa & activè & passive coram ordinario ventilanda erit. *Schwannemann. Observ. Cam. n. 11. 12. Cragius de F. L. III. §. ult. p. 378.*

XXII. Quod si qualitas ista, atque relatio in dubium vocetur, seu negetur, non poterit causa pro feudali haberi, nec iudicio feudali esse locus, cum fundamentum hujus nexus feudalis nondum assertum sit, atque probatum. *Rosenth. XIV. 2. 8.* Neque tamen iudex feudalis hoc casu de sua competentia ipse cognoscere potest, quod aliàs licet per *L. 2. ff. si quis in Jus vocatus. L. 5. ff. de iudic.* Quandoquidem hæc definitio ad Iudices ordinarios & universales, non ad Iudices certarum tantum causarum pertinet, *Cavelcanus Dec. XI. num. 17. Surdus Conf. 218.* Eundem ergo erit ad ordinarium Iudicem. Quod idem fit, si de re non feudali inter illos lis sit, inter quos relatio feudalis locum invenit, cum intuitu istius rei cesset. Latius hoc argumentum excussum invenies in *Disfert. D. Eubenii de Caus. Feud. D. Lynck. XVI. 4.*

XXIII. De causis itaque feudilibus iudicat Iudex feudalis, Dominus, scilicet, & Pares Curia. *I. F. 18. II. F. 40. 55. §. 5. Struv. XVI. 4.* Est tamen, ubi & causa feudalis coram ordinario Iudice loci ventilanda est, si scilicet iudicium feudale deficiat, veluti si Pares Curia non habeat planè Dominus. *II. F. 16.* vel Pares in eadem causa testes esse debeant. *Schrader P. XI. Sect. 7. n. 113.* vel si Dominus & Pares recusentur ex rationalibus causis, nec alii adsint, qui in loco illorum Parium substituuntur, *Finckelth. X. 7.* Quanquam hoc casu superiorem adeundum, vel litem coram arbitris dirimendam quidam velint. *ad. L. 16. C. de Iudic. Struv. XVI. 7. 2.*

XXIV. Dominus, si inter plures ejusdem Curia Vasallos lis sit, de causa feudali iudex competens est *II. F. 55. §. fin.* adhibitis tamen Paribus Curia. *I. F. 18, II. 15. inf.* Qui & Pares  
Domus



Domus II. F. II. Pares de domo Domini I. F. 26. §. si quibus.  
Pares Curtis II. F. 2. dicuntur, sive ejusdem Curia Vassalli.  
Rhetius I. F. 2. p. 151. Vel Judex Curtis, h. e. Magistratus, qui  
ad jus dicendum in causis feudalibus à Domino & Paribus  
Curia est constitutus, d. I. F. 18. II. F. 15. inf. Struv. XVI. §. 1.  
Quoad Feuda Regalia, jus commune feudale aliud consti-  
tuere videtur, illud nempe, Imperatorem vel Regem in hisce so-  
lùm esse judicem, exclusis Paribus. Hoc pleriq; interpretum pro-  
bant, & in partes vocant principium I. F. 18, ibi: *coram Impera-  
tore definiri debet.* Verùm si nobis dicere licebit sententi-  
am liberè, haud putamus excludi ibi Pares Curia; sed po-  
tius includi, vel tacitè comprehendi arbitramur: pari ratio-  
ne, quâ & in eodem principio verbis: *Judicio Parium non*  
*excluditur Dominus, sed includitur, quod nemo unquam*  
*negavit.* Neque etiam aliàs inusitatum est, Domini appel-  
latione significari simul Pares Curia. II. F. 55 §. pen. C. 6. ex-  
tra de foro competente. Dubiis, quæ huic nostræ sententiæ ob-  
jici possunt, satisfecit acutissimus Bitschius ad dictum Tex-  
tum.

XV. In Imperio Romano-Germanico de Feudis Regalibus  
inajoribus solum Imperatorem Judicem, non Cameram, nec  
Austregas esse *Ord. Cam. P. II. Tit. 7.* satis comprobatur *Itt. de*  
*Feud. Imp. c. 15.* Utrum verò Imperator adhibere teneatur Pa-  
res Curia; an vero his exclusis, solus de his rebus judicet,  
nobilissima atque decantata controversia est. Multi sunt,  
qui ultimum affirmant, uti *Stamler de Reserv. Imp. §. 38. Reink.*  
*de Regim. Sec. L. 1. class. IV. c. 9. Carpzov.* existimantes sententiæ  
suae robur accedere tum ex I. F. 18. tum ex Constitutione  
*FridERICI II. cap. 24,* ab Alberto confirmata, quam exhibet *Gol-*  
*dastus P. II. S. p. 17. 27.* ibi: *das wollen wir selber richten/ it. Ru-*  
*dolphi I. apud Lehmannum L. V. C. S. c. 108.* tum denique ex ipsa  
Ordinatione Camerali allegato loco, & quæ ipsam antecessit  
*Ordin. Regim. Worm. 1521. §. 7.* Verùm ex hisce omnibus pa-  
rum præsidii huic accedere sententiæ arbitramur. Stante  
enim illa hypothese, quam antea, *Tb. preced,* defendimus,  
prius



prius argumentum statim concidit. Nec majus pondus sequentia habent, quandoquidem Constitutio Friderici, sequentesque commodè ita explicari poterunt, ut non excludi, quod quoad Præfectum Palatii (*Hoffrichter*) ibi fit, sed includi Pares censeantur. Ordinatio verò Cameralis id saltem agit, ut Camerae Jurisdictio & Austregarum removeatur, non verò ut decernatur, à Iudicio Imperatoris excludi esse Pares Curia. Sicuti & Ordinatio Regimenti non de exclusionem Parium occupatur, sed id tantum vult, ne Locumtenens Imperatoris & Regimentum causas de Feudis majoribus ad se trahant. Qua de causa alii contrariam sententiam, Pariumque præsentiam, quam vulgo *Sürstien-Recht* vocant, defenderunt. Qua in re nimis fere est personatus ille *Hypol. à Lapide de Rat. Stat. P. I. c. X. Sect. 2.* Nolumus omnes horum allegare rationes, quas congeffit *Anonymus apud Lundorpium Tom. II. C.* aliique: hoc tamen certum est, antiquis temporibus controversias ejusmodi nunquam unius Cæsaris arbitrio, & iudicio permissas fuisse, sed Ordinum, licet non omnium, quorundam tamen, & quidem non ceu Assessorum tantum, quales I. Romano habebantur, sed ut Iudicium sociata opera judiciali definitas decisque esse. Multa in hanc rem exempla in medium adferri possent, sed quia ab aliis abundè id præstitum est, hac operâ supersedemus. Conf. præter citatos scriptores *Bignonius. ad L. 1. Formul. Marculphi. Du Fresne Glossariò voce: Pares.* Non possumus tamen, quin mentionem faciamus Sgismundi Imperatoris, qui decreto Ulmensi 1434. asserit, testaturque controversiam de Electoratu Saxoniae inter Fridericum Bellicosum Misniae Merchionem, & Ericum Lauenburgicum, quam Concilium Basiliense ad se trahere conabatur, secundum juris communis dispositionem, nec non usum, morem, stylum, & consuetudinem S. R. I. per Dominum Feudi ac Pares Curia esse terminandam. Qua confessione Imperatoris quid clarius esse potest? Extat illud decretum apud *Goldastum, P. III. 440. Vid. Limn. Tom. V. appendice addition. ad L. II. c. 9. n. 32.*



n. 32. p. 98. Conf. auctor Inform. *Donawerth. P. II. p. 256. n. 20.* Ubi eundem Sigismundum in causa inter Henricum & Ludovicum C. P. R. & Duces Bavarie eadem ratione cum Paribus Curie sententiam dixisse testatur. Quam opinionem latius deducit *Limneus L. II. c. 9. n. 32.* Interim tamen illud negandum non est, Carolum V. sequentesque Imperatores non tantum de Feudis, sed etiam de vita & omni fortuna Electorum & Principum solos judicare auctores esse, agnovisseque postea, agnoscereque adhuc hodie multos Principes solitarium hoc Cæsaris Judicium, id quod variis exemplis comprobari poterit, quæ congestit ex parte *Conring. de Judic. Germ. Tb. 47.* Utrum autem hac ratione ab antiqua ista consuetudine plane sit recessum, jus novum constitutum, & vetus Principum Jus penitus abolitum, nostrum non est determinare: quamvis nos non fugiat haud deesse qui non dubitent istud asserere. Iuvare hos videtur *Ordinatio Judicii Aulici Ferdinandi III. Tit. 2.* in quo judicio disquisitio causarum feudalium Imperii fieri solet. *litter. de F. I. c. 25. Tb. 3.* Verum cum ista Ordinatio consensu comitali nondum probata, nescio an inde fundamentum peti possit. Non desunt, qui ita temperandam sententiam putant, ut statuunt solum quidem Imperatorem hodie esse Judicem in causis Feudalibus, eum tamen præsertim illo casu, si Feudum Regale abjudicandum inconsultis, & non consentientibus Ordinibus dicere non posse sententiam, minus executioni dari. *D. à Rbez. I F. 18. Itt. c. 25. §. 15.* quamvis prior à sententia recessisse hac videatur *Libr. IV. Inst. T. 4. §. 11.* Quicquid hujus sit, nos in medio hac vice illam relinquimus sententiam, & istam, & contrariam in cathedra exercitii causa defensuri. Illud dubio caret, si mediante habano quis Feudo Regali privandus esse, opus juxta Capitulationes consensu Electorum. *Art. 28. Cap. Leopold.*

XXVI. Quia Vicariis Imperii in A. B. omnimoda Jurisdictio competit, nullaque sui parte restricta est potestas judicandi, omniaque ab illis fieri possunt, quæ A. B. non adimit, aut alia Lex publica; non dubitamus, quin & illi de Feudis majoribus

B

bus





bus iudicare possint; cum nulla prohibitio hac parte habeatur. Nam quod à negata investiendi facultate ex *ABC. §. 1.* petitur argumentum, rem non exhaurire videtur. *Limn. L. III. 12. n. 17. Itter. de F. I. c. 25. Diff. Steph. de Iurisdictione L. 2. P. 1. c. 5. n. 50.*

XXVII. Forum Imperatoris Feudale & Ecclesiastici Principes agnoscere tenentur, ratione Feudorum ab Imperatore concessorum, ut & alii clerici, Feuda qui possident Forum Feudale subterfugere non possunt. *c. 6. X. For. comp. Ludw. c. 1. p. 15. Itter. XXV. 4.*

XXVIII. Sunt qui putant Cameram Imperii Iudicem esse posse in causa Feudi Regalis, si tantum pars adjudicanda; idque colligunt ex voce gänzlich. *Blum. T. 41. Proc. Cam. §. 6.* Sed non putamus id inde sequi, siquidem textus docet, vocem gänzlich & vocem endlich hic eandem habere significationem, atque unam saltem declarare aliam. Potius opinamur eandem hic rationem esse totius, quæ partis, & viceversa. *a. L. 72. de R. V. Rhetius I. F. 18.* Quod si tamen non de parte quotitativa, sed de parte quantitativa, sive re quadam singulari, vel etiam de iuribus Feudorum istorum sit, eo casu Cam. Jurisdictionem fundatam esse putaremus. *Itter. de F. I. c. 25. §. 6.*

XXIX. Textum Ordinationis Cameræ ad causam summarii possessorii non pertinere, tradunt *Blum. T. 41. §. 4. Rhetius I. F. 18.* De ordinario iidem autores diversam defendunt sententiam, eam nempe: Cameræ Jurisdictionem hic non esse fundatam, quam etiam defendit *Itt. d. l. §. 5.* Quoniam tamen Feuda ista Regalia nec in ordinario possessorio planè, & absolutè, uni vel alteri parti addicuntur, vel abjudicantur, sed petitorium adhuc salvum est: non putarem per hunc titulum Cameræ Jurisdictioni in ordinario possessorio obicem poni. Neque etiam mihi obest Irreratio de continentia causæ petita, quandoquidem illud dubium ab ipsa lege removetur. *Roding. L. 1. T. 17. num. 14.* Quid autem hac parte praxis Cameralis ferat, definire non aumus: cum versatissimos in Foro Camerali viros hic inveniamus.





mus hæsitantes, vel dissentientes, præsertim quoad ordinari-  
um possessorium.

XXX. In sæpius allegato textu mentio fit der Fürsten-  
Thum/ Herzog-Thum/ Graffschafften adjecta etceteratione.  
Colligunt tamen Interpretes ex Verbis textus, illum de o-  
mnibus Feudis Regalibus Imperii, atque sic etiam de Ba-  
roniis, & Dynastiis intelligendum esse. *Blum. T. 41. §. 7.*  
*lter. d. l. c. 25. Th. 7. Conf. Diss. Sub. D. Stryk. habita de. Etc.* Ce-  
terum Feuda Imperii non Regalia huc non pertinent, reli-  
ctâ in illis Iurisdictione Camerali, prout aliâs illa compe-  
tere potest; non excluso tamen Iudicio Imperatoris Aulico.  
*Blum. d. l.*

XXXI. Hactenus dicta locum sibi vendicant, si lis sit  
inter Convasallos. Quando verò inter Dominum & Vasal-  
lum controversia oritur: ille in propria causâ neutiquam  
iudex esse poterit, sive directò, sive indirectò illum tangat,  
sed tunc Pares ejusdem Curia, sub qua est Vasallus, judici-  
um exercent, quod vocatur: Mann Gerichte. *II. F. 16. 39. §.*  
*si inter. 55. in f. II. 40. Land R. L. 3. . 278. Lehn R. c. 65. ac quidem*  
*omnes, nisi quidam electi fuerint II. F. 16. Quomodo au-*  
*tem electio hæc fiat ex d. II. F. 16. apparet. Conf. Struv. 16. 63.*  
*Schrad. p. 105. 8. n. 136. Vult. II. F. 2. n. 30. Ant. Diss. 14. Th. 3. Vin-*  
*theri Diss. Inaug. Argent. 1670. habita de Paribus Curia Th. 27. sq.*

XXXII. Utrum Pares Curia, iudicium exercentes pe-  
culiari juramento constringendi sint, disputant DD. Nobis  
negativa placet, quam ex *II. F. 16. II. F. 24. II. F. 47. II. F. 58.*  
*§. pen. haud male probari posse putamus, modò juramen-*  
*tum fidelitatis præstiterint, quod juramentum tacitè saltem*  
*illud quoque continet, ut justè & rectè hoc officio judican-*  
*di fungi velint. Non tamen interim illis magnopere refra-*  
*gabimur, qui in causâ magni momenti eo casu, ubi pars de-*  
*siderat, Pares Curia juramento obstringi debere volunt, si*  
*ab initio disertè de administranda justitia non jurarunt.*  
*Harmanni L. II. Obs. 22. De Saxonia testatur Colerus, ibi*  
*juramentum à Paribus Curia sigillatim præstari debere de*



æqualitatē servanda *Colerus Decis. 294.* Ceterum quicquid de Paribus Curiaē sit, Dominus, si ille iudex sit in causa feudali, nunquam jurabit. Nec de hoc sinistram opinionem, & suspicionem fovere licet Vasallis *Anton. XIV. 4. B.*

XXXIII. Si Cæsari qua tali cum Vasallo Imperii controversia Feudalis intercedit, illam putamus à Paribus Curiaē terminandam juxta Juris communis Feudalis placita, cum alio jure destituamur: quin potius domesticum jus suffragetur. *Spec. Svecic. c. 23.* Atque adeo nec ipsum Imperatorem, nec Comitem Palatinum Rheni Iudicem putamus esse competentem. *Vid: Lim. XIII. c. 9. n. 49. Conf. Const. Frid. I. de Pace Constant. §. sententia. Myl. de Princ. & Ant. Imp. c. 20. §. 8.* Quod si vero cum Imperatore non qua tali, sed ut qua Convasallo, & v.g. Archi-Duce Austriae sit, ad Pares Curiaē quidem solos res non pertinebit; sed coram ipso Imperatore illam ventilari posse autumo. Exempla tamen hinc non desunt bonos Imperatores aliis suas partes tali casu invidiae avertendæ causa demandasse. *Itt. de F. l. c. 25. Tb. 18.*

XXXIV. Multi sunt in ea sententia, ac si hodie Iudicium Parium, vel præsentia Parium, si Dominus Iudex sit, in territoriis Ordinum Imperii planè cesset. Hoc certum illis in locis, ubi Vasalli simul sunt subditi, causas Feudales in judiciis ordinariis tractari, quod & in nostris terris fieri solet, ubi coram Regiminibus, vel etiam in Curiaīs Provincia- libus ejusmodi causas ventilari videmus. *Zanger. de Except. c. 1. p. 2. n. 303. Carpz. Proc. T. 3. n. 4. n. 46. 48. Struv. O. F. c. 16. tb. 4.* Patiuntur etiam Domini se coram Iudiciis Provincialibus conveniri. Qua de causa rarius contingit ut Pares iudices videamus, (daß die Lehn-Tassel besetzt wird) atq; parum felici successu Vasallos quosdam id petiisse tradit *Schotrel. de singul. Germ. Juribus c. 4. §. 9.* Utrum autem in genere ideò asserere liceat, omnia quæ de Paribus Curiaē in *J. F.* communi habentur, non esse in usu, affirmare non ausimus. *C. Itt. D. à Rbet. I. F. 10. p. 362. 364.*

XXXV. Forum Feudale, si aliàs fundatum est, agnoscere





scere & illi debent, qui gaudent privilegio de non evocan-  
do. *Carpz. L. II. R. 29. Dec. 31. p. 1. Meischner. L. 2. Dec. T. 2. d. l. n. 82*  
*Myl. ad Rumel. P. 2. d. 1. Th. 13.*

XXXVI. Probamus illorum sententiam, qui Vasallos  
cum alio litigantes sine Domini consensu arbitros eligere  
non posse putant, si causa verè sit feudalis; posse tamen, si  
causa non sit verè feudalis, sed tantum circa Feudum ver-  
tatur, & ad ordinarium spectet. *Ant. Disp. XIV. Th. 5. B. Disp. IX.*  
*Th. 2. F. Quoad F. Imperii conf. Itter. c. 25. §. 23. sqq.*

XXXVII. Si lis sit de Feudis pluribus, quæ à diversis  
Dominis inferioribus recognoscuntur, superior omnium ex  
continentia causa adiri potest. *Rosenthal. c. 12. concl. 1. n. 85. 88.*  
*Dissentit. Klock. Vol. II. conf. 60. n. 6.*

XXXVIII. Quoad modum procedendi sciendum est,  
eundem illum esse, qui in aliis causis civilibus, nisi specia-  
tim quicquam jure feudali dispositum reperiatur. De qui-  
bus in sequentibus dispiciamus *a. II. F. 1. Struv. XVI. 10.* quod  
nec aliter sese habet ratione Feudorum Imperii. Conf. tamen  
*Itter. XXV. 24.* Saxonicum Jus peculiarem processum feu-  
dalem introduxit, variaque jussit solennia adhiberi & obser-  
vari. *Lehn-Recht art. 65. 68.* de quo processu Dd. Saxonici  
latè agere solent, ex quibus *Berlich. P. 1. Concl. 62. Henning. Gō-*  
*den conf. 29.* alique legi possunt. Præsertim autem evolvi me-  
retur *B. Reinhardi* informatio hujus processus, quæ subjuncta  
est *Coleri decisionibus, P. II.* Modum istum procedendi in Sa-  
xonia Ducali aliisque locis, ubi Jus Saxonicum adhuc in usu  
est, observari Dd. tradunt. *Berlich. l. 62. 82. Carpz. l. 27. 1.* Cui  
tamen de Marchia idem asserenti contradicit Illustris *D. Rhe-*  
*tius in pr. ef. Juris Feud. p. 13.* Augustus verò Elector Sax. or-  
dinem illum Judicii feudalis planè abolevit, atq. secundum  
processum juris communis (intelligo eum, qui in his terris  
aliàs in usu est) causas feudales tractare jussit. *P. I. Const. 27.*  
*Carpz. D. 2. 3.* Etsi verò Constitutio tantum de lite inter Do-  
minum & Vasallum vertente loquitur, atque adeò ad eum  
casum, si inter duos Vasallos causa agitur, DD. Saxon. il-



iam pertinere negent. *Moll. d. Const. num. 25. Berl. P. I. C. 62. in fine. Carpz. de C. 27. d. 4. inf.* nescimus tamen an hoc usus admittat: quandoquidem & has causas eodem modo, ac alias tractari tota die videmus.

XXXIX. Accedimus illorum sententiæ, qui Vasallum Dominum in Jus vocantem veniæ impetratione non egere volunt. Quicquid enim aliàs de Jure Civili circa illam veniæ impetrationem fit, non putamus argumentum à liberto ad Vasallum hic aliquid efficere. *Brunn. ad L. 13. ff. de in Jus vocand. Finckelth. XI. 18.* Interim id certum modestè & reverenter adversus Dominum esse agendum. *Myns. 40. 92. Vinzber d. l. Th. 79.*

XL. Quæ II. F. 22. Princ. II. F. 24. §. 1. de trina citatione habentur, usu hodiè non servari, sed eandem rationem citationis esse ac in aliis causis civilibus praxis testatur. Quod si verò unus ex citatis, sive Dominus, sive Vasallus contumax sit, & non compareat, alter in possessionem mittendus, ita tamen, ut facultas sit intra annum Feudum recuperandi. *II. F. 22. ubi Bitschius II. F. 24.* Ubi tamen quod de depraedatione dicitur, non de vi privata accipiendum est, sed de dejectione à possessione, quæ fit via Juris. *D. Struv. & Lynk. C. XIV. Th. 17.*

XLI. Probamus illorum sententiam, qui reconventionem coram Judicio feudali non aliter admittunt, quàm quoad causam etiam feudalem, sicuti nec per reconventionis modum causa verè feudalis ad ordinarium judicem trahi potest. *Mynsing. IV. Obs. 90. Finckelth. XI. Th. 21.*

XLII. Ob mutuum fidem, quæ omnem præsumptionem malitiæ, si qua adesse possit, tollit, Dominus & Vasallus à se invicem juramentum calumniæ exigere non possunt. *II. F. 33. §. in quibus.* Id quod tamen ad Vasallos inter se extendi nequit. *Ludw. c. p. 419.*

XLIII. Quando Jus Feudale alios testes quàm Pares Curia respuit, id ita intelligendum est, si solennitatis causa, veluti in investitura nova testes requirantur. Aliud tamen dicen-



dicendum, si probationis causâ saltem testibus opus. *II. P. 32.*  
Ubi *Bitsebius* & alii *DD.* Sunt qui fœminas planè arcent ob  
textum *d. II. F. 32.* Sed videtur Feudistam ibi tantum de usu  
Mediolanensium loqui. Qua de causâ nulli dubitamus ad  
*ἀποδεικτικὰς μαρτυρίας* admittendas esse, *Bitsebius d. l.*

XLIV. Sicuti aliàs duo testes secundum notissima Iu-  
ris Principia requiruntur ad probationem plenam, ita & jure  
Feudali id locum habet *II. F. 2.* Quod si tamen de proba-  
tione felonix agitur ob magnitudinem præjudicii, quinque  
exigit jus feudale *II. 57.* Quod & hodie obtinere vult *Rosen-  
thal. c. XII. concl. 20. n. 5. Itter de F. 7. c. 25. Tb. 24.*

XLV. Illud Jure feudali peculiare esse dicunt, auctore  
non probante, reum non statim absolvi, sed juramento se  
purgare debere, *Sonsbeck. P. 15. n. 27. Ludw. c. ult. p. 420.* Sed  
assentior *D. Struvio*, qui nullam, hac parte inter Jus Civile, &  
Feudale agnoscit differentiam, *c. 16. Tb. 16.* Id verò singu-  
lare est, quod Jus Feudale septem Sacramentales, seu com-  
purgatores exigat. *I. F. 4. I. F. 10. II. F. 30.* Hos Sacramenta-  
les in causis feudalibus in Camera Imperii seculo superiori  
adhuc adhibitos fuisse, ex *Webnero voce: Mitpurgatorem/ &  
Rosentb. C. 12. concl. 14. n. 73.* patet. Hodie autem ab usu fori  
id recessisse, *DD.* communiter testantur. Plane in Ordina-  
tione Camerae *P. II. T. 10.* in causa fractæ pacis compurgato-  
res requiruntur, *Gail. L. 2. de Pace publ. c. VII. n. 12. & 24.*

XLVI. Fuit & apud Longobardos in usu probatio vel pur-  
gatio per duellum, *C. non est consuetudo II. F. 39.* Agnovit jam olim  
Rex Rotharis *L. 13. T. 9. L. 1. LL. Longobard.* impiam esse illam con-  
suetudinem, sed tamen addit eam vetari non potuisse. *Conf.  
Rittersb. L. II. c. 10. qv. 28. Mudov. Diss. de duello.* Invaluit & illud in-  
stitutum apud Germanos quoque, quod Constitutionibus  
suis comprobarunt *Henricus II. V. F. 2. & Fridericus I. II. F. 27.*  
Adhibita fuit exploratio per ferrum candens. *Glossa ad Cap. II.  
F. 27. v. similes* item aquam ferventem &c. Verùm cum omnes  
illæ res impietatem & superstitionem secum ferant, modique  
hi valdè fragiles atque incerti probandi, ideo moribus nostris  
planè





planè sunt rejecti. *vid. Rittershus. d. l. q. 38. Conf. DD. ad T. extra  
de Purgat. vulgari.*

XLVII. Appellationem in causis feudalibus esse licitam  
nulli dubitamus, quod & verba capituli *Sancimus I. F. 22. in f.*  
haud obscure innuunt. Fieri autem debet ad Iudicem Feuda-  
lem proximè superiorem, vel si nullus adsit, ad superiorem,  
illius, qui in causa iudicavit feudali ordinariū. *Gail. 10. 56.*  
*Ludw. c. f. p. 422 Schultz Synops. Feud. C. ult. n. 47. & 48.* Atque hac  
ratione Camera Imperialis Appellationes super Feudis media-  
tis recipit, modo aliàs à Iudice, qui sententiam tulit, ad Came-  
ram possit appellari, nec privilegium de non appellando ob-  
stet. *Blum. Proc. Cam. T. 14. n. 8. Gail. 1. Obs. 29.* De appellatione ad  
Papam *vid. Ros. XII. 20. 5. Itter. 5. 20.*

XLVIII. Alia remedia suspensiva eatenus locum habent  
in feudalibus causis, quatenus aliàs usu sunt recepta: quibus  
omnibus illa fatalia observanda, quæ Jus commune exigit.  
*Ant. Th. 8. L. 6. nam II. F. 22. §. f. nihil hac parte novi est consti-  
tutum. Rosenth. c. XII. concl. 20. n. 14.*

XLIX. Executionem sententiæ in Iudicio feudali latae  
Iudex feudalis puta Dominus, & Pares Curiaë suscipere ea-  
tenus possunt, ut sub periculo amissionis Feudi aut simili  
modo reo condemnato injungant, ut satisfaciat sententiæ,  
& missionem etiam decernant. *I. F. 22.* Quod si autem no-  
lit reus parere, ordinarius Iudex ratione domicilii vel rei  
sitæ pro re nata implorandus est. *Rosenth. c. XII. concl. 20. def. 16.*  
Qua imploratione non opus si Dominus qui sententiam  
tulit, simul ordinarius Iudex est. Quoad Feuda Imperii, &  
Italiaë videri potest *Blum. Proc. Cam. T. 77. D. ab Ufenbach. de Ju-  
dico Imper. Aulico. c. 24. Sect. 2.* Quoad Saxonica *O. P. Elect. Sax.  
T. 49. ibique Commentatores.*

L. Cum Vasallus Domino alimenta in casu necessitatis sup-  
peditare teneatur *Exerc. XV. Th. 21.* nulli dubitamus,  
quin etiam beneficium competentiaë huic sit con-  
cedendum *Ludw. c. f. p. 423*

SOLI DEO GLORIA,





56

60 A


ULB Halle 3  
002 635 348  









B.I.G.

Farbkarte #13

R. B. V.

JURIS FEUDALIS

54.13

Decima octava

1695 84

DE

ONIBUS,  
ET PRO-  
FEUDALL

quam

ESIDE

NRICO HORNIO,

P.P. atq; Collegiorum

hic sunt, Adessore,

MDC. XCV.

io fCtorum

defendet

US NICOLAI,

. Saxo.

GODERITSCHIANIS.